

ralis est. Si vero sit aliquis Cholericus, si Melancholicus,
aut Sanguineus, impossibile est eum nullis affectibus tangi
vel ira, vel odio, vel laetitia, vel tristitia.

XXXVI. Et vero tum demum apparebit, quid tolli
ex humanâ naturâ possit, si primum ejus statum inspicia-
mus. Quod enim in primo suo ortu homines habent, id à
naturâ habent, quodcunque autem à naturâ habent, id pla-
ne illis eripi non potest. Si igitur tenellos nostros infan-
tes respiciamus, affectus in ijs sese suo modo prodere de-
prehendemus. Sunt enim motus, ut diximus, appetitus
sensitivi. Fit primo per phantasiam alteratio & dignatio
objecti, hoc est, fit sensatio: Deinde ex sensatione prove-
nit animæ affectus sive passio, quæ est objectum cognoscere
& comprehendere sub ratione boni vel mali, seu jucundi
aut molesti, ex. gr. Frigidum & calidum cognoscit sensus,
nempe tactus. Si deinde accedit accurata cognitio, resul-
tant affectus: si nempe calidum illud & frigidum sit mode-
ratum oritur delectatio: sin excellens & nimium, aversatio.
Quandoquidem igitur omnes homines, etiam infantes, sen-
sus habent, motus etiam quosdam à naturâ habeant, neces-
se est. Sic ira illorum, licet imbecillis, se prodit: sic dolorem
lacrymæ, laetitiam risus ipsorum testatur. Et hoc ipsi Stoï-
ci, Senecaque in lib. 1. de ira concedunt.

XXXVII. Manet igitur naturales esse affectus, quo-
rum principia Natura Naturans seu Deus nobis in primâ
creatione indidit, quod & de ira intellexit Horatius lib. r.
ad. 16.

Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus particulam undique
Dissectam, & insan' leonis
Vim stomacho apposuisse nostro.

Deus, in quam, laetitiae affectum in splene, libidinis in jecore,
timoris